



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput II. De concupiscentia, ejusque motibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

## C A P U T II.

*De Concupiscentia, ejusque motibus.*

**C**Oncupiscentia, quæ & peccatum internum nominatur, solo peccantis animo perficitur, ita ut nullius operis externi positione appareat, ut si quis fornicari desideret.

Desiderium hoc duplex est: unum *inefficax*, seu conditionatum, quod formatur sub aliqua conditione, V.G. vellem furari, si peccatum non esset. Alterum *efficax*, seu absolutum, quod formatur sine ulla conditione.

Quòd desideria efficacia rei malæ sint peccata, constat ex duobus ultimis præceptis Decalogi.

1. An etiam desideria inefficacia seu conditio-  
nata rei malæ sint peccata?
2. Sub distinctione: vel enim sub conditionis  
adjectæ pallio latet complacentia, vel affectus  
erga rem malam, & desideria ista inefficacia  
peccata sunt. Vel nullo modo talis affectus  
subest, & peccata non sunt. Quilibet in hac  
materia seipsum sincerè consulat.
2. Quid judicandum de his, similibusve discur-  
sibus: *Si non essem in religione, vel in sacris Or-  
dinibus, uxorem ducerem?* Item: *Si non essem  
bodie jejunium, manducarem carnes?*
2. Non sunt semper à peccato immunes: licet  
enim omnis complacentia, & affectus malus  
absit, periculum tamen est maximè in materia  
carnis, de se voluntatem inclinante, ne irre-  
pens

44 TRACTATUS DE PECCATIS.

pens exurgat complacentia. Desiderare carnes die jejunii, casu quo jejunium non esset, per se peccaminosum non est, nisi illud desiderium audientibus pusillis offendit, aut scandalum generet.

3. Quid est delectatio morosa?

R. Est delectatio animi, sive complacentia in objecto malo cogitato, absque voluntate opus malum perpetrandi.

4. An delectatio morosa dicta sit à mora temporis, quo mens in ipsa hæret & moratur?

R. Neg. Morosa enim delectatio, dum sufficiens adest voluntatis consensus, unico momento haberi potest.

5. Qualis advertentia rationis est necessaria, ut delectatio morosa sit peccatum mortale?

R. Ut peccatum imputetur in individuo ad culpam mortalem, non sufficit deliberatio imperfecta, sed requiritur plena, & perfecta, alias peccatum erit tantum veniale. Peccatum enim mortale est quid perfectum in genere moralis, ergo etiam debet quid esse perfectum in genere Actus humani.

R. 2. Postquam ratio perfectè advertit, & deliberavit, motum insurgentem in appetitu esse peccatum mortale, aut constitutere hominem in periculo peccandi mortaliter, si non reprimit illum, cùm possit, sed dissimulat merè negativè se habendo, jam ex tunc peccatum morosæ delectationis incipit esse mortale, quia homo censetur consentire virtualiter, aut in-

interpretativè in delectationem, & motum illicitum.

6. Estne semper peccatum mortale, pravos concupiscentiæ motus, post rationis advertemtiam, non reprimere, sed negativè se habere?
  - R. 1. Absente justâ causâ, si motus ejusmodi non reprimantur, putâ, quia voluntas se tepidè gerit, aut motus istos non curat, probabilius est, eum peccare, & quidem mortaliter, quia tunc censetur interpretativè in ejusmodi commotiones consentire.
  - R. 2. Si adsit justa causa, & secludatur consenus, aut voluntariæ delectationis periculum, non erit peccatum, motus illos mox non reprimere: atque ita excusantur Confessarii, chirurgi, qui occasione legitimi munieris, tales subinde motus experiuntur.
7. An sit peccatum mortale delectari de pollutione, quæ in somno sine culpa accidit?
- R. Aff. Etiamsi delectatio de illa fiat ob bonum finem, V. G. ob sanitatem, quæ occasionaliter fortè secuta est; sicut enim nefas est pollutio nem ex bono fine appetere, ita & etiam nefas est, de illa ob finem bonum delectari.
8. An delectatio morosa desumat speciem ab opere externo, circa quod versatur, ita ut si opus externum plures malitias contineat, delectatio eas participet?

R. 2.

46 TRACTATUS DE PECCATIS.

- ¶. Licet speculativè loquendo opposita plausibiliter defendi queat, attamen affirmativa pro praxi est tenenda. Unde in Confessione delectationis morosæ de copula illicita, etiam est exprimenda persona, quæ fuit animo proposita, V. G. an persona concupita fuerit conjugata &c. delectatio enim desumit malitiam ab objecto.
- ¶. An concupiscentia motus involuntarii, sive quos homo patitur invitus, sint peccata?
- ¶. Neg. Peccatum enim debet esse voluntarium, ut si voluntarium non sit, nullo modo peccatum sit.
- ¶. An graviter peccet, qui de peccato mortali, olim patrato, gloriatur?
- ¶. Aff. Si nempe in tali peccato sibi complaceat, vel alios tali jactantiâ ad simile peccatum pertrahere intendat, vel famam personæ tertiaræ graviter lædat.

C A P U T III.

*De Luxuria, ejusque speciesibus.*

LUXURIA est appetitus inordinatus libidinosa, & carnalis voluptatis. Ex genere suo est peccatum mortale; Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, ad Gal. 5.

Species ejus sunt sex: Fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, & vitium contra naturam.

Fornicatio est copula illicita soluti cum soluta.  
Ad-